

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 5: De beneficiis

De petitionibus et rogationibus beneficiorum: et exauditionibus vel de negationibus:

Rubrica prima.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Siquidem elegantius vteris amicis si minime prestoleris eorum preces: et vltro sibi cum exigit tempus auxiliaris.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Factiua amicitie est gratia et non requisitum facere.

Salustius in catilinario: Auxilium ab omnibus petas: etiam ab infimis.

Oratius in sermonibus libro i. sermone 3. Omnibus hoc vitium est cantatoribus inter amicos: vt non disponant animum cantare rogati: Inuisi nunquam desistant.

Tullius de amicitia: Hec lex in amicitia sancitur: vt neque rogemus res turpes: neque faciamus rogati.

Ouidius epistolarum 7. epistola. Perdere verba leue est. Idem sine titulo seu amorum libro 3. et finali epistola 11. Desine blandicias: et verba potentia quondam / Perdere non ego sum stultus vt ante fui. Idem de arte amandi libro i. Flectitur iratus: voce rogante deus. Idem methamorphosis libro 8. Ignauis precibus: fortuna repugnat. Libro 9. Id pete quod fas est. Idem de ponto libro 2. epistola 9. Conspicitur nunquam: meliore potentia causa: / Quam quotiens varias non finit esse preces.

Seneca tragediarum in hypolito capitulo 6. Qui timide rogat: docet negare. Idem de beneficiis libro 3. Si contingit interuenire plura rogantis verba interdicenda sunt: ne rogati videamur: sed certiores facti statim promittamus: facturosque nos antequam interpellemur ipsa festinatione approbemus. Idem declamationum libro 2. capitulo 7. Nemo fortiter negantem iterum rogauit. Idem in prouerbiis. Minus decipitur cum negatur celeriter. Negandi causa: auaro nunquam deficit.

Ualerius maximus libro 6. titulo grauiter dicta aut facta: Publius rutilius: cum amici cuiusdam iniuste rogationi resisteret: atque is per summam indignationem dixisset: quid ergo opus est mihi amicitia tua si quod rogo non facis. Immo quid mihi tua: si propter te aliquid inhoneste facturus sum. Libro 7. titulo Sapienter dicta aut facta: Socrates humane sapientie: quasi quoddam terrestre oraculum: nihil vltra petendum a diis immortalibus arbitrabatur quam vt bona tribuerentur: quia hi demum scirent quid vnicuique esset vtile. Titulo aure dicta aut facta. Alexander cum ad excidium lansacene vrbis summo studio fereretur: progressumque extra menia anasiminem preceptorem suum vidisset: quia manifestum erat futurum: vt preces suas ire eius opponeret: non facturum se quod petisset iurauit. Tunc anasimenes: peto inquit vt lansacum diruas. Hec velocitas sagittatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio cui destinatum erat subtraxit.

Commented [CN1]: fol.47ra

Prosper sub 91. epigramate. **Cum** deus effectum: precibus non prestat iniquis. / Multum concedit: quod nocitura negat.

Commented [CN2]: fol.47rb

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18 ex auctoritate publil. Pars beneficii est quod petitur si cito neges.

Cato capitulo 2. Quod iustum est petito: vel quod videatur honestum. Nam stultum est petere: quod possit iure negari.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 30. Cur illud tardemus annuere vnde nulla possumus damna sustinere. Libro 3. epistola 43. Supplicationem precepit humanitas. Libro 4. epistola 5. Donare videtur qui vendit rogatus. 24. epistola. Uotis iusta poscentium tribuat effectus. 26. epistola. Ipsa est perfecta pietas que antequam flectatur precibus nouit considerare fatigatos. Idem de amicitia capitulo 22. Generosus animus nil magis erubescit quam petere.

Ualdo 11. fabula. Blandimenta precum vertunt in candida tetrum.

Gualterius de castellione libro 6. Repulsam / Ex merito patitur: qui postulat vterius quam / Promeruit: spes quam meritum non preuenit a spe / Deuiat: et verum dat ei presumptio nomen.

Matheus vindociensis de historia tobie capitulo 31. Sepe repulsa iuuat: nocet impetrare repulsa / Liberat arbitrium munera sumpta ligant. Capitulo 39. Est rogo vox miseri: vox importuna pudoris / Prodigia meroris: plena fauoris egens. / Largire rogata roganti: Si poteris.

Prouerbia metricum extraordinem librorum vagantia. Est orare ducum: species violenta iubendi. / Et quasi nudato supplicat ense potens.

De beneficiis: Rubrica 2

Psalmista 46. psalmo. Iustus miseretur et tribuet.

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Qui negligit damnum propter amicum: iustus est. / Multi colunt personam potentis.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 7. scilicet de cleobolo. Cleobolus vnus de septem sapientibus dicebat beneficiendum esse amico vt amicior fiat. 28. capitulo scilicet de aristotele. Aristoteles ad culpantem: quia improbo contribuera: ait non **contribui** homini: sed humanitati. Idem interrogatus qualiter sit nos erga caros gerendum: ait prout amamus eos erga nos se gerere.

Commented [CN3]: fol.47va

Plato in timeo circa finem. Bonos viros decet commodos esse.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Benefaciens malis assidebis alentibus alienos canes illi nanque impendentes panem vt in quoslibet latrant.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo i. Uirtutis magis est benefacere quam bene pati. Libro 8. capitulo 8. et finali. Bene pati multi volunt facere autem fugiunt vt inutile. Libro 9. capitulo 7. Multi magis bene pati quam facere appetunt. Capitulo 9. Amici magis est bene facere quam pati. Boni et virtutis est bene facere amicis quam extraneis. Idem polliticorum libro 2. capitulo 2.

Largiri et auxiliari amicis aut extraneis aut alteris: delectabilissimum est. Idem rethoricorum libro i. capitulo 13. Magnanimitas est virtus factiua magnorum beneficiorum: pusillanimitas autem contrarium. Libro 2. capitulo 6. Factiua amicitie est gratia: et non requisitum facere: et cum fecerit non manifestare: sic enim ipsius gratia videtur non propter alterum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum: et ad dandum collecta. 29. capitulo. Uir bonus fidem facit proximo suo.

Tullius de officiis libro i. capitulo xxvi. Quicquid sine detrimento commodari possit: id tribuatur cuique vel ignoto. Idem rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 5. Est imprudens: qui pro beneficio non gratiarum verum mercedem postulat.

Ouidius de ponto libro 2. epistola 9. et antepenultima. Regia crede mihi res est succurrere lapsis. / Conueniens homini est hominem seruare voluptas. / Et melius nulla queritur arte fauor.

Quintilianus declamationum 6. declamatione. Omnium beneficiorum ista natura est vt non sit necessitas sed potestas.

Mattheus in euangelio capitulo 7. Omnia quecunque vultis vt faciant vobis homines: et vos facite illis.

Paulus apostolus in epistola ad galathas capitulo 6. Alter alterius onera portate.

Seneca de beneficiis libro i. Beneficia sine vllo delectu magis proicimus quam damus. Beneficium est beniuola actio: tribuens gaudium: **capiensque** tribuendo: et in idem quod facit prona et sponte sua parata. Libro 2. Ingratum est beneficium quod diu inter dantis manus hesit. Maioris est muneris gratia: quo minus diu pependit. Omnis benignitas properat: et proprium est libenter facientis cito facere. Non sunt exasperanda beneficia: nec quicquam triste illis miscendum est: etiam si quod velis admonere aliud tempus eligito. Qui dedit beneficium taceat: narret qui accepit. Libro 3. Turpissima vox est in beneficio redde. Libro 4. Satius est prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos. Idem epistolarum ad lucillum libro 6. epistola 6. Non potest quisquam beate degere qui se tantum intuetur que omnia ad vtilitates suas conuertit. alteri viuas oportet si vis tibi viuere. Libro 13. epistola 13. Nemo habet tam certam in beneficiis manum vt non sepe fallatur. Animo et beneficia et iniurie constant. Errat siquis beneficium libenter accipit quam reddat. Idem de beata vita: Ubicunque homo est: ibi beneficio locus est. Idem de moribus. Prius quam promittas deliberes: et cum promiseris facies. Idem in prouerbiis. Ab alio expectes alteri quam feceris. / Bis est gratum quod opus est si vltro offeras. / Beneficium qui dare nescit iniuste petit. / Beneficia plura accipit qui scit reddere. Beneficium dando: accipit qui digno dedit. Beneficium sepe dare docere est reddere. / Benignus etiam causam dandi cogitat. / Potest in aduersis auxilia qui in secundis comodat.

Ualerius maximus libro 5. titulo de ingratis. Dandi et accipiendi beneficii commercium sine quo vita hominum est mors tollit: quisque bene merito parem referre gratiam negligit.

Lex digestorum titulo commodati l. incommodato. §. sicut autem. Adiuuari quippe nos: non decipi beneficio oportet. Lex codicium titulo de negotiis gestis. l. tutori. Sufficit si cui vel in paucis amici laboribus consolatur.

Commented [CN4]: fol.47vb

Marcialis cocus libro vndique suscepto: Ne noceas tibi sic aliis prodesse memento.

Ambrosius de officiis libro 4. et finali capitulo 3. Considera o homo vnde nomen sumpseris: ab humo itaque que nihil cuique eripit: sed omnia largitur omnibus et diuersos in vsum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata humanitas specialis et domestica virtus hominum que consortem adiuuat. Subuenire non habenti humanitatis est: duritie autem plus extorquere quam dederis. 5. capitulo. Si non potest alteri subuenire nisi alter ledatur: commodius est neutrum inuuari quam grauari alterum.

Commented [CN5]: fol.48ra

Prosper 66. emp. Grator est fructus quem spes productior edit.

Cato capitulo i. Bonis benefacito. Capitulo 2. Dilige sic alios: vt sis tibi carus amicus. / Sic bonus esto bonis: ne te mala damna sequantur / Officium alterius multis narrare memento. / Atque aliis cum tu benefeceris ipse sileto. / Ne dubites cum magna petas impendere parua. / His etenim rebus coniungit gratia caros. Capitulo 3. Si potes ignotis etiam prodesse memento. / Utilius regno est meritis acquirere amicos. Capitulo 4. Productus testis: salua tamen ante pudorem. / Quantumcunque potes celato crimen amici.

Cassiodoris epistolarum libro i. epistola 13. Non decet esse difficile beneficium quod non patitur sui largitate detrimentum. 33. epistola. Tunc de exteris cogitandum est dum se ratio proprie necessitatis expleuerit. 37. epistola. Non est beneficium quod prestatur inuitis nec cuiquam vtile quod aduersa voluntate conceditur. Libro 2. epistola 28. Beneficium dici non potest: quod nulla vtilitate sentitur. Angusta sunt beneficia: que non etiam de futuris aliquid pollicentur. Libro 9. epistola 24. Dulcius accipitur: quod sub aliqua dilatione prestatur. Libro 11. epistola 6. Ipsius quoddammodo res agitur cuius in alterum vota complentur. 16. epistola. Subuenire semper amantis est. Libro 12. et finali epistola i. Persona tua refugium sit oppresso: infirmi defensio: presidium aliqua calamitate concluso. 5. epistola. Gratificante natura illis amplius debemus: qui nobis aliqua proximitate iunguntur. Idem de amicitia capitulo 22. Quicquid amico impenderis nunquam improperes.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Qui seruitia oblata recusat accipere: offerentem nimio rubore perturbat: et seipsum iudicat auaritie vitio contineri.

Commented [CN6]: fol.48rb

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Quod fieri tibi vis: hoc quoque fac aliis.

Montenarius in luna cleri capitulo 96. Quisquis amat seruit.

Prouerbum vulgare: Luna man laua laltra / Tanto val le amigo che non zoa: como nemigo che nonosse.

De liberalitate et munificentia: Rubrica 3

Esaias propheta capitulo i. Omnes diligunt munera: sequuntur retributiones.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo i. Non in multitudine datorum est quod liberale est: sed in dantis habitu. Ditari non facile est liberalem: neque accepturum existentem: neque custoditium. 2. capitulo. Uelociter derelinquit substantia dantes idiotas qui et videntur prodigi esse. Libro 9.

capitulo 3. Amicis magna quam extraneis existimamus oportere largiri. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 42. Liberalis est laudabilis. Idem rethoricorum libro i. capitulo 13. Liberalitas est virtus circa pecunias benefactiua. Illiberalitas autem contrarium. Libro 2. capitulo 16. Senes illiberales sunt: vnum enim aliquid necessariorum est substantia: similis autem propter experientiam sciunt ei quod difficile est possedisse: et facile abiicere. Idem polliticorum libro 2. capitulo 2. Largiri et auxiliari amicis aut extraneis aut alteris delectabilissimum est. Idem in priorum anaeticorum libro 2. capitulo 70. Ambitiosi liberales sunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum: ad dandum vero collecta. Capitulo 12. Bene fac humili: et non dederis impio. 18. capitulo. Ante mortem bene fac amico tuo. Capitulo 18. Omni dato ne des tristitia verbi mali. 35. capitulo. In omni dato hylarem fac vultum tuum.

Terentius in phormione capitulo 3. Quam iniqua comparatum est: hi qui minus habent: vt semper aliquid addant diuitibus.

Oratius in epistolis libro i. capitulo 7. Prodigus et stultus donat qui spernit et odit. / Hec seges ingratos tulit: et feret omnibus annis. / Uir bonus et sapiens: dignis ait esse parandum. / Nec tamen ignorat quid distent era lupinis.

Quidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 8. Crede mihi res est ingeniosa dare. Idem de arte amandi libro i. et finali. Munera det diues.

Commented [CN7]: fol.48va

Mattheus in euangelio capitulo 25. Habenti dabitur et abundabit: ei autem qui non habet et quod habet auferetur ab eo. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 19.

Lucas in euangelio capitulo 6. Date et dabitur vobis. 8. capitulo. Qui habet dabitur illi: et quicumque non habet: etiam quod putat se habere auferetur ab eo.

Paulus apostolus in 2. epistola ad corinthios capitulo 9. Hylarem datorem diligit deus.

Seneca de beneficiis libro i. Dignus est decipi: qui de recipiendo cogitauit dum daret. Libro 2. Dabo egenti: sed vt ipse non egeam. succurram perituro: sed vt ipse non peream. Respiciende sunt cuique facultates sue viresque: ne aut plus prestemus quam possumus aut minus. Libro 4. Reiciendi muneris signum est protinus inuicem aliud mittere et munere munus expugnare. Idem de clementia. Non est magni animi: qui de alienis liberalis est sed ille qui quod alteri donat sibi detrahit.

Ualerius maximus libro 5. titulo de gratia: Amplissime et speciosissime diuitie sunt feliciter erogatis beneficiis late posse censer.

Lex digestorum titulo de officio proconsulis l. solent. §. finali. Ualde inhumanum est a nemine accipere. Sed passim vilissimum est: et per omnia auarissimum. Titulo de adimendis et transferendis legatis l. rem legatam. Nemo in necessitatibus liberalis existit.

Marcialis cocus epigramaton libro 4. Munera quod senibus viduisque ingentia mittis: / Uis te munificum gargiliane vocem. / Sordidius nihil est te: nihil est te spurtius vno / Qui potes insidias: dona vocare tua. / Sic auidis fallax: indulget piscibus hamus. / Callida sic stultas: decipit esca

feras. / Quid sit largiri: vel quid donare docebo. / Si nescis: dona gargaliane mihi. Libro 5. Que mihi prestiteris: meminisse semperque tenebo. / Cur igitur taceo: postume tu loquaris. / Incipio quotiens alicui tua dona referre. / Protinus exclamat: dixerat ipse mihi. / Non belle quedam faciunt duo: sufficit vnus. / **Huic** operi: si vis vt loquar ipse tace. / Crede mihi quamuis ingentia postume dones. / Auctoris pereunt: garulitate sui. / Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus. Libro 11. Nil mihi das viuus: dicis post fata daturum / Si non es stultus: scis maro quid cupiam. Idem libro vndique susceptis capitulo 3. Magna quid dare: sed promittere parua decorum est. / Te facere contra gloria nulla tibi. / Attolluntur hylares vilissima munera vultus. / Uultus sub tristes: maxima deiiciunt. / Si donas tristis: et dona et premia perdis. Capitulo 4. Qui iustis sanctisque viris: tigiline ministrat. / Sumit vbi donat: spargit et accumulatur.

Commented [CN8]: fol.48vb

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. Cum desideratione promitte: plenius quam promiseris presta.

Cato capitulo 2. Exiguu munus: cum dat tibi pauper amicus. Accipito placide: et plene laudare memento. Capitulo. 3. Dandum etenim est aliquid cum tempus postulat aut res. Capitulo 4. Cum tibi diuitie superant in fine senecte: Munificus facito viuas: non parcus amicis.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 13. Non decet esse difficile beneficium quod non patitur sui largitate detrimentum. 15. epistola. Regnantis facultas tunc sit ditior cum remittit: et acquirit nobiles thesauros fame neglecta vilitate pecunie. 27. epistola. Datur plerumque quod maiori vilitate recipitur: et frequentius homo lucra sua complectitur cum necessaria pro temporis qualitate largitur. 33. capitulo. Tunc dextris cogitandum est dum se ratio proprie necessitatis expleuerit. Libro 2. epistola. 3 Commendantur priora posterioribus donis. Libro 3. epistola 29. Hec sunt regia dona quod semina sparsa in segetem coalescunt: in vnum coacta depereunt. Idem de amicitia capitulo 22. Hylari vultu serena facie et sermone iocundo condire studeas munificentiam tuam.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 54. et antepenultimo. Quicquid largiris cum hylaritate largire.

Uersificator fabularum esopi fabula 28. Nullus amor durat: nisi fructus seruet amorem. / **Cuilibet** est tanti: munera quanta facit. Fabula 64. et finali. Cuius semper eges rem nulli tradere debes.

Commented [CN9]: fol.49ra

Gualterius de castellione libro i. Unge animos donis: auri que appone liquorem. / Hec egre menti poterit medicina mederi. / Sic inopi diues: largus que medetur auaro. / At si forte animo: res non respondeat alto: / Copia si desit: vel si minuatur aceruus: / Non minuatur amor: nec deficit copia mentis. / Allice pollicitis: promissa que tempore solue.

Mattheus vindocinensis scilicet de historia tobie capitulo 13. Uerus amicus / Dantis in affectu: non datione patet. / Da cito: da gratis gratum: ne gratia fiat / Uenalis grato: munere gratis eris. / Sic des pro modulo census: ne prodigia dandi / Uirtus in vitium collaterale ruat. Capitulo 3. Parcus semine: pauca metes. / Est dare letitie vox: verbum nobile: verbum / Mellifluum dantis gloria: dantis honor.

Heinricus samariensis libro 2. Qui decus oblatum: rugosa fronte venenat. / Plus mihi diabolo displicet ille dator. / Dona serenus homo: carum que seruat amicum. / Atque datum facie: duplicat

ille suum. / Quod donare velis: dones sine spe redeundi / Ne quod aperta dedit: retrahat vnica manus.

Prouerbiū vulgare: A caual dona: non guarar en dente.

De celeri aut morosa prestatione muneris et beneficii: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Ne dicas amico tuo: vade et reuertere: et cras dabo tibi: cum statim possis dare. 13. capitulo. Spes que defertur affligit animam.

Tullius philipicorum libro 6. Expectatio quod quantum afferat languoris animo quis non videt.

Ouidius methamorphis libro 4. Ad opem breuis hora ferenda est.

Prosper sub 66. epigrammata. Gratior est fructus: quam spes productior edit.

Cato capitulo 2. Quod prestare potes: ne bis promiseris vlli.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 40. Non possimus existimare iocundum quod ingrata fuerit dilatione suspensum. Libro 6. epistola 9. Omne siquidem iustum celeritatis commodo transit ad beneficium: et quod debito redditur tali gratia munus putatur. Libro 9. epistola 44. Habet hoc humana conditio: vt celerius adepta fastidio sint: dum omne preciosum vilescit oblatum. Dulcius accipitur: quod sub aliqua dilatione prestatur.

Commented [CN10]: fol.49rb

Mattheus vindocinensis in poetria: parte i. capitulo i. Stipulationis nouerca est dilatio. Particula 2. et finali capitulo 3. Pollicitum languet vltiore mora.

Heinricus samariensis libro 2. Ne te pigritie consors dilatio pertardet: / Ad bona nam cupiens: omnia tarda putat. Nam mora denigrat donum: meritumque minorat. Sed cita grandificat munera parua manus.

Iacobus beneuentanus capitulo 20. Cum spondes aliquid: manus illico verba sequantur / Auget enim meritum qui cito soluit idem.

Prouerbiū metrice extraordinem librorum vagantia. Qui cito dat bis dat: nescit dare qui dare tardat.

De auxilio et fauore: Rubrica 5

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Nulli rei praeue nec assis: nec faueas: videbis enim et tu talia operari qualia operantibus aliis subieris.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 8. Diuinum arbitrabitur auxiliari iniusta patientibus.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.

Terentius in adelphis capitulo 6. Abs quiuus homine cum est opus beneficium accipere gaudeas.

Salustius in catilinario: Auxilium ab omnibus petas: etiam ab infimis.

Lex digestorum titulo de carboniano edicto li. i. §. sed etsi quis. Magis consulendum est his: quibus maius periculum intenditur.

Ambrosius de officiis libro 3. capitulo 24. Pronum quippe est genus humanum fauere honoratioribus. 25. capitulo. His fauemus frequentius a quibus referende gratie vicem speramus.

Gaufredus in poetria capitulo 75. Languor eget medico: solamine luctus: egestas subsidio.

Commented [CN11]: fol.49va

De vtilitate oblationis munerum et beneficiorum: Rubrica 6

Moises in deuteronomio capitulo 23. Fratri tuo absque vsura id quod indiget commodabis: vt benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere tuo.

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Munera de sinu impius accipit: vt conuertat semitas iudicii. 18. capitulo. Donum hominis dilatat viam eius: et ante principes spacium ei facit. 19. capitulo. Amici sunt dona tribuentis. 22. capitulo. Munus absconditum extinguit iras: et donum insigne indignationem maximam. 22. capitulo. Uictoriam et honorem acquirat qui dat munera: animam autem aufert accipientium.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Benefacito bonis: bonus enim thesaurus penes virum studiosum debita gratia.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Factiua amicitie est gratia.

Jesus filius sirach in ecclesicastico capitulo 12. Benefac iusto: et inuenies retributionem magnam: et si non ab ipso certe a domino.

Tullius de amicitia: Confirmatur amor ex beneficio accepto.

Ouidius de arte amandi libro 2. Dextera precipue capit indulgentia mentes. Libro 3. et finali. Munera crede mihi capiunt: hominesque deosque / Placatur donis: iupiter ipse datis. / Quid sapiens faciet: stultus quoque munere gaudet. Idem de fastis libro 5. Sepe iouem vidi: cum iam sua mittere vellet / Fulmina: ture dato sustinuisse manum.

Seneca tragediarum in octauia capitulo 4. Unice obsequendo potius immittere virum. In hercule etheo capitulo 5. Merita vincunt et malos. Idem de beneficiis libro i. Nullum tam mansuetum animal est quod non cura mitiget: et in amorem sui vertat. Idem epistolarum ad lucillum libro 12. epistola 6. Nemo non cum alteri prodest sibi proficit. Libro 16. epistola 2. Ab alio expectes alteri quod feceris. Idem in prouerbiis. Habet in aduersis auxilia: qui in secundis commodat.

Ualerius maximus libro 4. titulo de his qui ex inimicis etc. Marcus cicero aulum gauinium repetum darum rerum summo studio defendit: qui eum in consulatu suo vrbe expulerat. Idem p. vatinius dignitati sue semper infestum duobus publicis iudiciis tutatus est: sicut sine vlllo crimine leuitatis: ita cum aliqua laude: quia speciosius aliquanto iniurie beneficio vincuntur: quam mutui odii pertinacia pensantur.

Commented [CN12]: fol.49vb

Marcialis cocus libri vndique suscepto capitulo 2. Uincis muneribus ius damiane tuis.

Macrobius saturnaliorum libro 4. capitulo 18. exautior publici: Beneficium dando accepit qui digno dedit.

Cato capitulo 3. Si potes ignotis etiam prodesse memento. Utilius regno est meritis acquirere amicos.

Boetius de disciplina scholarium libro 2. Licet a multis destituatur laboris restitutio: tamen ab aliquo promouebitur fauoris adeptio.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 27. Datur plerumque quod maiori vtilitate recipitur: et frequentius homo lucra sua complectitur: cum necessaria pro temporis qualitate largitur. Libro 4. epistola 24. Ipso munere magis acquiritur cum opportunis digna prestantur. Idem de charitate seu dilectione dei capitulo 29. Nemo adeo crudelis est qui ad collata beneficia non mitescat.

Uersificator fabularum esopi 28. fabula. Nullus amor durat nisi fructus seruet amorem / Quilibet est tanti munera quanta facit.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 15. Si datur ad tempus: dat et aufert commoda munus. / Iusque legesque suo destruit ingenio.

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. Munus enim confert mores: inuectit auaros / Occultat vitium: genus auget: subiicit hostem. / Non opus est vallo: quos dextera dapsilis ambit. / Nam seu pax vigeat: seu rupto federe pacis / Regnet: et in toto discordia seuiat orbe. / Principibus dubiis: subitumque timentibus hostem. / Est dare pro muro: et solidi munimis instar.

Heinricus samariensis libro 2. Quemlibet officiis: ne queras quis sit honora. / Nam multos caros: letus amicat honor.

Gaufredus de hyronica curie papalis: Omnia muneribus placantur munimina sumptis. / Excitat in predam: cogitque sitire cruorem. / A suo deprehenso portio iacta canes.

Commented [CN13]: fol.50ra

Bertrandus iconomica capitulo 8. Non semper gladio: sed sepe seruitio vincitur inimicus.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Lucraris tribuendo bonis: sed perdis iniquis.

Prouerbiu vulgare. Martello de argento: speza porte de ferro.

De nocumento susceptionis munerum et beneficiorum: Rubrica 7

In exodo capitulo 23. Munera excecant etiam prudentes: et subuertunt verba iustorum.

Psalmista 25. psalmo. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Qui odit munera viuet.

Isaias propheta capitulo 3. Uhe qui iustificatis impium pro muneribus: et iustitiam iusti aufertis ab eo.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 20. Datus insipientis: non erit vtilitas tibi: oculi enim illius septemplices sunt: exigua dabit: et multa improperebit. 20. capitulo. Exenia et dona: excecant oculos iudicum.

Ualerius maximus libro 4. titulo de abstinentia. Alexander cognomen inuicti assecutus continentiam diogenis cinici vincere non potuit. Ad quem cum in sole sedente accessisset hortareturque vt si qua prestari sibi vellet indicaret. Mox inquit de ceteris interim velut a sole mihi non obstes. Diogenes syracusis cum olera ei lauanti aristippus dixisset: Si dionysium adulari velles ita non esses. Immo inquit: Si tu ista esse velles non adulares dionysium.

Martialis cocus epigramaton libro 8. Munera qui tibi dat locupleti gaure senique / Si sapis et sentis: hoc tibi ait morere.

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo i. Premia et dona: legibus vires tulerunt. Libro 2. capitulo 49. Munera sepe virtutem preuaricant. Cito violatur auro iustitia: cito corrumpitur munere.

Commented [CN14]: fol.50rb

Uersificator fabularum esopi fabula 24. Cum tibi quid detur: cur detur respice.

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. Munus enim a norma recti distorquet acumen / Iudicis: et tetra voluit caligine mentem.

Mattheus vindocinensis de historia tobie capitulo 31. Nonnunquam fuge quod dabitur: susceptio doni / Arbitrii vendit liberioris opes. / Munera sumpta ligant. / Uenditur arbitrium: dum viuatur ex alieno / Sumptu: pane tuo vescere liber eris.

Heinricus samariensis libro i. parte 2. Deuiat a vero: corruptus munere iudex. / Falsificumque facit: impia gaza pium.

Montenarius in luna cleri capitulo 38. Munera cecant.

De credito et debito: Rubrica 8

Psalmista 36. psalmo. Mutuabitur peccator: et non soluet.

Salomon in prouerbiis capitulo 6. Si sponderis pro amico tuo: defixisti apud extraneum animam tuam: illa queatus es verbis oris tui: et captus propriis sermonibus tuis. Fac ergo quod dico: temetipsum libera: quia incidisti in manus proximi tui: discurre festina: amicum tuum suscita: ne dederis somnum oculis tuis: nec dormitent palpebre tue erue quasi damula de manu: et quasi auis de insidiis aucupis. 22. capitulo. Qui accipit mutuum seruus est fenerantis.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 29. Fenerare tibi proximo in tempore necessitatis illius. Redde proximo in tempore suo. Multi non causa nequitie: non fenerati sunt: sed fraudari gratis timuerunt. Uir bonus fidem facit proximo suo.

Mattheus in euangelio capitulo 22. Reddite que sunt cesaris cesari: et que sunt dei deo. Idem dicit marcus in euangelio capitulo 11. Idem dicit lucas in euangelio capitulo 20.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 13. Reddite omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal: cui honorem honorem.

Commented [CN15]: fol.50va

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 5. Leue es alienum debitorem facit: graue inimicum. Idem in prouerbiis. Es alienum homini ingenuo: acerba seruitus est.

Lex digestorum titulo de verb. sig. l. sub signatum. §. i. Bona intelliguntur cuiusque qua deducto ere alieno supersunt.

Cato capitulo i. Mutuum da. / Cui des videto.

Boetius de disciplina scholarium libro 2. Declamatione creditorum: nihil amarius menti imprimitur.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 2. Irrite suspenditur quod nullis protractionibus euitatur. 10. epistola. Reatus quidam est esse sub debito: nec liber potest veraciter dici qui probatur obnoxius reperiri. 16. epistola. Debitum siquidem quod non potest euitari: prona debet mente semper offerri: vt fiat beneficium quod sine compulsione constat illatum.

Iacobus beneuentanus capitulo 35. Nolo quod prestes fili tua litigiosis. / Aut illis et qui sibi semper egent. / Credita vix etenim vel nunquam reddere curant. / Consueuere tamen reddere verba pia.

Prouerbiu vulgare: Mal compra clesura chi tol dinari a osura. / El debito destruze chi vnca nol fuze. / Uolce elaltru apprendere et amaro parer a rendere.

De gratia et gratitudine et ingratitudine: Rubrica 9

Psalmista 36. psalmo. Mutuabitur peccator et non soluet.

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Qui redit mala pro bonis non recedet malum de domo eius.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Factiua amicitie est gratia: et non requisitum facere: vt cum fecerint non manifestare. Sic enim ipsi gratia videtur: non propter alterum. Idem ethicorum libro 3. capitulo 4. Retributio est proprium gratie: **refamulari** enim oportet ei qui gratiam fecit.

Commented [CN16]: fol.50vb

Cronica de nugis philosophurum capitulo 28 scilicet de aristotele: Aristoteles quesitus quid citius senescat: inquit gratia.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non fit porrecta manus tua ad accipiendum: et ad dandum collecta. 29. capitulo. Multi quasi inuentionem estimauerunt fenus: et prestiterunt molestiam his qui se adiuuauerunt: donec accipiant osclantur manus dantis: et in promissionibus humiliant vocem suam: et in tempore redditionis postulabat tempus: et loquitur verba tedii et murmurationem: et tempus causabitur. 29. capitulo. Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.

Terentius in andria capitulo 3. Si illum obiurges vite qui auxilium tulit: Quid facias illi: qui dederit damnum aut malum?

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. His qui necessario non profuerunt haberi gratiam non oportet. Libro 2. capitulo 9. Gratia est virtus in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur. Idem philipicorum libro 3. Cui gratia referri tanta non potest quanta debetur: habenda tamen tanta est quantam maximam animi nostri capere possunt.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 10. Gratia pro rebus merito debetur ineptis. / Omnia conductor soluit: mercede soluta: / Non manet officio: debitor ille suo.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13. epistola 6. Ingratus est qui beneficium reddit sine vsura. Ingratus est qui se beneficium recepisse negat quod accepit. Ingratus est qui dissimulat. Ingratus qui non reddit. Ingratissimus omnium qui oblitus est. Idem de moribus. Memoria beneficiorum fragilis est: iniuriarum tenax.

Martialis coctus epigramaton libro 5. Non reddet sterilis: semina iacta seges.

Ualerius maximus libro 5. titulo de gratis: Gaii marii non solum precipuus: sed etiam prepotens grate mentis fuit impetus. Duas enim camentium cohortes mira virtute vim cimbrorum sustinentes in ipsa acie aduersus conditionem federis ciuitate donauit. Quod quidem factum et vere et egregie excusauit: dicendo: inter armorum strepitum verba se iuris ciuilis exaudire non potuisse: et sane id tempus tunc erat quo magis defendere quam audire leges oportebat. Mitridates rex magnifice gratus apparuit: qui pro leonico acerrimo salutis sue defensore a rhodiis nauali pugna excepto omnes hostium captiuos permutauit. Satis esse existimans ab inuictissimis circumueniri quam benemerito gratiam non referre. Titulo de ingratis dandi et accipiendi beneficii commercium: sine quo vita hominum est mors tollit quisque benemerito parem referre gratiam negligit. Ligurgo neque vite summe synceritas neque constantissimus erga patriam amor neque leges salutariter excogitate auxilio esse potuerunt: quo minus infestos ciues experiretur. Sepe enim lapidibus petitus publico furore priuatus: etiam oculo ad vltimum ipsa patria lacedemonum pulsus est. Quid alie facient vrbes vbi etiam illa que constantie et moderamine: et grauitatis eximiam sibi laudem vendicauit tam ingrata aduersus tam benemeritum extitit.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 30. Non dare cuiquam vix licet: non reddere vero non licet. Conferre gratiam bonum est: at qui referre nescit durissimus est.

Cato capitulo i. Beneficii accepti memor esto. Capitulo 2. Officium alterius multis narrare memento / Atque aliis cum tu benefeceris ipse sileto. / Exiguum munus: cum dat tibi pauper amicus. / Accipito placide: et plene laudare memento.

Uersificator fabularum esopi 8. fabula. Nil prodest prodesse malis: mens praua molorum / Immemor accepti non timet esse boni. Fabula 10. Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum. / Pro fructum penam: pro pietate dolum. Fabula 42. Non debet meritum turpis delere vetustas. / Accepti memores: nos decet esse boni.

Commented [CN17]: fol.51ra

Andreas ad gualterium de amore libro i. Maioribus censetur meritis dignus qui bona / sponte peregit: quam qui ea coactus exercuit. / Coacta nemini sunt grata obsequia: et nullis digna premiis iudicantur.

Commented [CN18]: fol.51rb

Iacobus beneuentanus capitulo 23. Accepti semper muneris esto memor. / A quocumque tibi presertim paupere factum. / Compensare stude: merito seruitium. / Frigescit dantis animus cum viderit ipse. / Cui dederit ingratum: muneris esse sibi. Capitulo 25. Noli serpentem dico tibi fili nutrire. / Mordebit quoniam te prius ipse malus.

Mattheus vindocinensis de historia Tobie capitulo 31. Non tibi quod dabitur: sed cur intellige: quia / Sola voluntatis forma inonerat opus.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 12. Ingratos homines inflata superbia reddit.

Bellinus in speculo vite parte i. exemplo 2. Seruitium nullus perdit: quod reddere multi / Desistunt: reddit vnicus illud homo.

Prouerbum vulgare: A caual dona: non guardar endente / Chi laua el cauo alaseno perde el saoune. / Chi serue ario segnore ne grao ne guerdone / Chi despicha el laro apicha si.

De mercede praemio et retributione: Rubrica 10

In leuitico capitulo 19. Non morabitur opus mercennarii tui apud te vsque mane.

Moyses in deteronomio capitulo 24. Non negabis mercedem indigentis: et pauperis fratris tui: vel aduene qui tecum moratur: sed eadem die reddes ei precium laboris sui ante solis occasum: quia pauper est: et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad dominum: et reputetur tibi in peccatum.

Solomon in prouerbiis capitulo 17. Qui reddit mala pro bonis non recedet malum de domo eius.

Tobie capitulo 4. Quicumque aliquid tibi operatus fuerit: statim ei mercedem restitue: et mercenarii merces apud te omnino non remaneat.

Aristoteles iconomicorum libro i. Sine mercede impossibile est dominari.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum: et ad reddendum collecta.

Commented [CN19]: fol.51va

Tullius de officiis libro i. capitulo 29. Uix inuenitur que laboribus susceptis periculisque aditis: non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

Mattheus in euangelio capitulo 10. Dignus est operarius cibo suo.

Lucas in euangelio capitulo 10. Dignus est operarius mercede sua.

Ioannes apostolus et euangelista in epistola 2. capitulo vnico. Uidete vosmetipsos: ne perdatiis que comparati estis: sed mercedem plenam accipiatis.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 4. Merces non imputatur secundum gratiam: sed secundum debitum. Idem epistola ad corinthios capitulo 9. Quis militat suis stipendiis vnquam. Qui in sacrario operantur: que de sacra sunt edunt: et qui altari seruiunt: cum altari participant.

Quintilianus declamationum declamatione 5. Ei labori oportet incumbere vbi promittatur effectus: stulta cura est que spem non habet.

Uegecius de re militari libro 3. capitulo 26. et finali. Milites in expeditione spes et premia faciunt meliores.

Iuuenalis libro 4. satira i. Quis enim virtutem amplectitur ipsam: premia si tollas.

Lex codicum titulo de statu et imaginibus. l. vt virtutum: Uirtutum premia tribui merentibus conuenit.

Marcialis cocus epigramaton libro i. In steriles campos nolunt iuga ferre iuueni. / Pingue solum laxat: sed iuuat ipse labor.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo i. Imperante florenteque nequitia virtus non solum premiis caret: verumetiam scelerorum pedibus subiecta calcatur: et in locum facinorum supplicia luit. 5. capitulo. Perspicuum est nunquam bonis premia: nunquam sua sceleribus deesse supplicia. Probos mores sua premia non relinquunt. Sicut probis probitas ipsa fit premium: ita improbis nequitia ipsa est supplicium. 7. capitulo. Si melioribus animum conformaueris: nihil opus est iudice premium deferente: tu ipse te excellentibus addidisti. Libro 5. capitulo 6. Equissimum iudicabitur improbos puniri: vel remunerari probos. Idem de disciplina scholarium libro 2. Licet a multis destituatur laboris restitutio: tamen ab aliquo promouebitur fauoris adeptio.

Cato capitulo 3. Cum labor est in damno: mortalis crescit egestas.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 41. Remuneratio meritorum iustum dominantis prodit imperium: apud quem perire nescit quod quempiam laborasse contigerit. Libro 2. epistola i. Non deficit rei studium: que premium largius habet. 15. epistola. Nutriunt premiorum exempla virtutes: nec quisquam est qui non ad morum summa nitatur ascendere: quando irremuneratum non relinquitur quod conscientia teste laudatur. 21. epistola. Graue nimis est vt fructu laboris sui fraudetur industria: et cui debet pro sedulitate conferri premium: dispendium patiat in iustum. 28. epistola. Tribuenda est iustis laboribus compensatio premiorum. 33. epistola. Equum est vt vnicuique proficiat labor suus. Libro 3. epistola 19. Fructuosus esse debet publicus labor. Libro 4. epistola 3. Theodoricus rex gottorum cuidam illustri viro hoc ait: Tende itaque adhuc bonis artibus tuos ad potira succensus: sciens gratiam nostram in illo semper augeri: qui se dignum adepto culmini desiderat inueniri. 4. epistola. Laure est benemeritis digna prestare. 13. epistola. Emolumenta deesse laborantibus non oportet: vt et bone spei aditus aperiatur: et de sudantium querela iusta compensatione claudatur. 25. epistola. In ipsis conatibus egra languescunt que meritorum presumptionibus non iuuantur. 27. epistola. Malorum omnium probatur extremum inde detrimenta suscipe vnde credebantur auxilia prouenire. Libro 5. epistola 19. Maiora sibi facit credi quisquis efficaciter iniuncta peregit. Libro 7. epistola 5. Manus larga artium nutrit ingenia. Libro 9. epistola 13. Ille dignus est premia consequi qui parere cognoscitur equitati. 21. epistola. Manifestum est premium artes nutrire. 22. epistola. Indiscreti hominum mores

Commented [CN20]: fol.52vb

confusique vagarentur: si aut culpa formidinem: aut virtus premia non haberet. Libro 11. epistola 19. Tironibus conceditur spes laboris dum vicissitudo fuerit reddita veteranis. 26. epistola. Sicut equum est desidiosus laborantium premia denegare: Ita conuenit excubantibus remunerationis optata concedere. 30. epistola. Equitati videtur accommodum: si efficaci actione laudatis digna moribus vicissitudo prestetur. 31. epistola. Dignum est vt sequatur vota fidelium fructus laborum: et superior gradus excipiat: quos gestarum rerum integritas effecta commendat. Idem de charitate et dilectione dei capitulo 48. Dignum siquidem est et consonum rationi: vt vicem rependamus amanti: obsequenti officium gratias largienti.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 43. Cum mercede labor gratior esse solet.

Auctor rudium dogmatis libro i. Optat premia quisque labor.

Andreas ad gualterium de amore libro. i. Maioribus censetur meritis dignus: qui bona spontanee peregit quam qui ea coactus exercuerit. Coacta nemini sunt grata obsequia: et nullis digna premiis iudicantur.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 10. Premia quisque labor optat habere sua. / Si labor ipse perit: perit in arte voluntas. / Amisso studio fit piger omnis homo. Capitulo 12. Omnibus est turpe: sed turpius est generosis. / Non compensare seruitium merito. Capitulo 27. et finali. Si numi desunt: perit omnis sollicitudo. / Sollicitum numus quemlibet ipse facit. / Sollicitat pigros: studiosos reddit inertes.

Gaufridus de hyronia curie papalis. Excitat in predam: cogitque sitire cruorem / A sue deprehensa portio iacta canes.